

lenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcedentes verba, non integra transilientes, non suffractis & remissis vocibus mulierbre quoddam balba de nate sonantes; sed virili, ut dignum est, sonitu, & affectu Spiritus voces depromentes. Si enim homo exprimens adversariorum malitiam ac propriam deficien-
tiam, & mileriam, & captans Regis benevo-
lentiam, & petens ab Adversariis victoriam, &
adiutorii sufficientiam, ac de propriis malis
veniam, studet exquisitè loqui ante Regem,
nihil omittendo de iis quæ debet loqui, multò
magis orans, & psallens ante Regem Regum
debet exquisitè loqui Psalm. *Quoniam Rex omnis
terra Deus psallite sapienter.* Vndè narratur de
Dæmone cui nomen Titinellus in tractatu de
universo, quod apparuit cum quodam cophi-
no ante quosdam psallentes, & colligebat sub
specie micarum dictiones vel syllabas omissas
ab eis in psalmodia. Vndè Versus:

Fragmina verborum Titinellus colligit
horum,

Sicque die mille vicibus se sarcinat ille.
Et ibidem narratur, quod cum quidam religiosi
inordinate, & indecenter psallerent, unus ex his
Spiritibus irrisoriè effigiavit eorum turpem,
& indecentem psalmodiam. Et in libro miracu-
lorum Beatæ Virginis narratur, quod, cùm
quidam Monachus ad Vigilias dormitaret, &
ad gloria Patris caput non humiliaret, apparuit
Angelus dicens, flecte caput, quia dicitur
gloria Patris: & Diabolus ex alia parte, non
flectet nisi triplicem ruperis funem, quod vi-
dens Abbas, & audiens oravit dicens: